





25

R E C T O R  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GEORGIVS AVGVSTVS  
 LANGGVTH**

PHILOSOPH. ET MEDICINAE DOCTOR PATHOL.  
 ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDINAR. FAC. MED.  
 SENIOR CONV. ELECT. ET MVSEI ANATOM.  
 INSPECTOR SOCIETAT. OECON. LIPS.  
 MEMBR. HONORAR.

O R A T I O N E M

A

FRIDERICO GOTTHELF GOTTLLOB KOCHIO

D O M M I T I O - M I S N I C O

S S. LITT. CVLT

I P S O D I E M E M O R I A E S A C R O R V M R E S T I T U T O R V M F E S T O

C I D I O C C L X X I

B E N E F I C I W E Y R A V C H I A N I C A V S S A

I N A V D I T O R I O M A I O R E

P R O C V R A T I S S A C R I S

H A B E N D A M

**C I V I B V S A C A D E M I C I S**

N O T A M F A C I T

26

# VITEMBERGA CASTAE RETINENS DOCTRINAЕ

**S**i, quo latius religionis contemptio purioris vagatur, eo maior est cautio bonis hominibus ac religiosis adhibenda, ne quid res sacra detimenti capiat, non est dubitandum, quin memoria nostra duplicanda prudentia sit, propterea quod castum de numine sensum, hinc furor fanaticus, illinc impiorum petulantia, peruertere modis omnibus conatur. Ille spernit artes, quae ad humanitatem pertinent, ac lumen rationis, diuinitus nobis accensum, restinguunt, duo nobis praesidia erepturus, quibus conseruatis, in Deum pietas floruit, quibus sublatis, anilis superstitione successit. Haec loquens in solum et scribens machinationibus contendit omnibus, uel ut uis diuina e mundo prorsus tollatur, uel sanctiores saltem tabulae de gradu dignitatis, in quo patres maioresque eas collocarunt, magis magisque deiiciantur. Itaque satis laudari non possunt eruditionis uindices, defensores monumentorum, de coelo proditorum, quippe cum Dei sanctimonia praesentis felicitas uitiae contineatur, non modo salutis spes sempiterna. Horum sunt numero Sueci, instituta societate doctissimorum hominum, quae, subsidiis undique conquisitis, hoc pignus humanae societatis custoditum posteris transdat, impetusque comprimat nefarios, illud multi-

T I S A T M A T O N

multiplici fraude extinguedi. Sic se gerundo, Gustavi Adolphi magni gloriam propagant, qui sacra emendata, praepotentibusque tot infestorum opibus fere oppressa, in fidem tanto robore animi suscepit, ut pro iis tutandis uel sanguinem profundere non dubitaret. Quod si numerum uirum, in omni doctrinae genere uersatissimorum, percensemus, scidis publicis propositum, in magnam nos merito uocamus expectationem. Alii, tractandis ueterum scriptis, arma, inde sumpta, retundent, alii, iudicio limato, speciosa magis, quam firma, rationistela frangent, alii in paeceptis morum, ab iniustis accusationibus defendendis, longo confirmati usu, disciplinae Christi vindicabunt excellentiam, alii subtiliter excoigitata, perspicuitate dicendi copiaque exornabunt. Quibus quidem studiis sicut iure gaudemus, quod iis praeципuum uitiae tranquillae firmamentum, non restituitur modo, sed etiam in posterum munitur, ita, quid in nostro sit officio, inde cognoscimus. Nunc enim, huius temporis, quo beneficium emendatorum sacrorum recolimus, sanctitati quo seruiam, perficere studebo, omnes ubique Lutheri sacris addicti si frigerent, Vitembergam feroire, ea sine labe retinendi, exardescere penitus debere

Ac Vitemberga quidem a uero ne discedat unquam in rerum studiis diuinarum, alienato ad libidinem nouandi animo, utpote quae gentibus reliquis primum sustulit signum, ad rectius de iis sentendum.

endum. Nam supersticio orbi toti tenebras coecasque nubes obduxerat, et, sicuti Pontificis tyrannidem prouexerat in summum, sic homines, eius ueneratione percusos, fraudibus subiecerat sacerdotum, ut, neglecto Deo, falsa colerent numina, animisque remedia non in Christo, salutis auctore, quaererent, sed in uanis caerimoniis, recte factorum specie, et largitionibus effusis, omnem spem fiduciamque collocarent. Quae quidem corruptelae non solum nostrorum accusationibus hominum reprehenduntur, sed ipsa etiam Pontificis asseclarum confessione tenentur. Testem in conspectum uestrum liceat Erasnum producere, qui per iocos salesque ingeniosos animos Lutheru paratiiores transdidit, hoc laudis testimonium epistola 325. ei tribuens, ipsum multa praecclare monuisse, hominumque congregationi reapse multa attulisse commoda. Sed addictiorem sacro imperio patronum dabo, Bellarminum, hanc in sententiam uulnera coetus sui, pro suggesto, nudantem (conc. XXVIII. domin. Laetare) annis aliquot, antequam Lutherana et Calviniana haeresis oriretur, nulla ferme erat, ut ii testantur, qui etiam tunc uiuebant, nulla, inquam, prope erat in iudiciis ecclesiasticis severitas, nulla in moribus disciplina, nulla in sacris literis eruditio, nulla in rebus diuinis reverentia, nulla prope modum erat religio. Ecquis locus hanc caliginem illorum temporum densam dissipauit, quis terris lucem, et cum luce felicitatem red-

reddidit. Vitembergam prouidentia in tanto col-  
locauit fastigio, huiusque magnitudine beneficij nos  
in perpetuum sibi obstrictos habet, ne rursus in er-  
rores implicemur capitales, sed pro ueritate, nobis  
restituta, quasi pro aris et focis propugnemus. Dux  
facti Martinus noster, coelesti animatus spiritu, cu-  
ius impulsu, quod principes, reges, imperatores,  
frustra tentarunt, strenue confecit, neque minus  
fulcra disiecit religionis falsae, quam uerae funda-  
menta confirmauit. Sagaciter enim cognorat, to-  
tam istius molem preeoncepta niti opinione, ho-  
mini, post crimen ultimorum parentum, posteris  
omnibus perniciosum, tantum superesse uirium, ut  
sibi possit ipse consulere, animum penitus emendare,  
legibus, a Deo promulgatis, satisfacere, eaque obe-  
dientia gratiam iudicis, peccatorum ueniam, ipsam  
que beatitatem, non sibi soli promereret, sed etiam  
aliis meritorum praebere fructum. Quam quidem  
superbiā mortalibus, natura satis insolentibus, Pe-  
lagius inspirauit, doctores scholastici nouis inflarunt  
uentis, coetus tandem, Pontifici deuotus, ut Bud-  
deus de Pelagianismo, in ecclesia Romana per bul-  
lam unigenitus triumphante, copiosius ostendit, au-  
xit in immensum, splendidae pompae suae ualde con-  
sentaneam. Sed altius est cogitatione escenden-  
dum, huius si fastus arrogantiam ab ipsis repetere  
fontibus placet. Labes enim perniciesque, ab ori-  
gine ultima contracta, extenuatur nimium, atque  
in ia-

in iactura imaginis diuinæ, decoris externi, quo facile careant homines, unice ponitur. At Lutherus, armis instructus Augustini, haec monstra fortiter domuit, quam propensi ad uitia nascamur, neruosa orationis grauitate inculcauit, nosque praesidiis nudauit omnibus, per nos ipsos e summo discrimine emergendi, gratiamque Dei reconciliandi. Quo cupidius nos ad uindicis, diuinitus dati, auxilium quaerendum festinare coegit, sicut aegrotus, salutem desperans, in medici, reeuandis morbis exercitati, industria fideque conquiescit. Huius liberatoris diuinam maiestatem maxima contentione defendit, non ignarus, maiores esse fundi humani calamitatem, quam ut hominis, eminentissimis doctibus praediti, studiis possit omnino depelli, iustitia Dei, nullis finibus circunscripta, in maleficos uehementissime inflammat. Quod si Deus Deo satisfecit ex asse, quid ad hanc fiduciam potest addi. Sed non pestis solum erat a ceruicibus auertenda nostris, sed etiam felicitas aeterna pariunda, quae ad nos tum demum peruenit, cum legibus, ab numine latis, paruerimus. Proinde satis non fuit, uadem nostrum nostra causa mortem obire, uerum patris quoque imperata, captu superiora nostro, fuerunt prompte alacriterque exequenda. Quae cuncta Christi promerita Pontificis obscurarat secta, iisque, uelut minus idoneis, adiunxerat humana, quod ille peccata non expiarit uniuersa. Nihilo minor de-  
prauatio

prauatio totam fidei naturam incessit. Cognitio  
doctrinarum salubrium solius coetus, ac potius Ro-  
mani antistitis, auctoritate censebatur, assensione ge-  
neratim probabantur ea, quae tabulis sacris, suppo-  
sitorum librorum copia auctis, continerentur, fidu-  
cia, tanquam superuacanea, reiiciebatur. Hic, *Cives*  
*Optimi*, Lutheri uera cernitur magnitudo, hic vir-  
tus eius in primis eluxit, tantumque deportauit glo-  
riae, ut nulla ei sit aetas satis cumulatam gratiam  
relatura. Primo quidem fidei necessitatem argu-  
mentis invictis muniuit, nihil valere pollicitatio-  
nem, quam is, cui fiat, repudiet, nihil donationem,  
nisi ab altero rata habeatur, nihil fide iussionem, si  
debitor ipse dissoluere nomina uelit. Post totius  
fidei formam ac tanquam faciem descripsit, scien-  
dum, cui credamus, quicquid Deus de beatitudine  
promiserit, ei, posthabitis dubitationibus omnibus,  
assentiendum, fiducia uero nihil habendum prius,  
nihil antiquius. Quae tandem haec. Recentiorum  
multi uocibus impropriis, ob eamque causam obscu-  
ris, magis nos deludunt, quam scientia augent. Apte  
Lutherus cum Philippo eum, iudicat, confidere Deo,  
qui gratiam, in Christo oblatam, uelit, eiusdemque  
possessione ac fructu gaudeat. Iam fundamenta  
erant satis firme iacta arcis scientiae rerum diuina-  
rum, quo pacto numinis iustitia possit profligatis  
hominibus, sed ad sanitatem redeuntibus, ignoscere.  
Hic Romae clientes operibus nitebantur, non a  
Deo

Deo praescriptis, sed commentis ingenii humani  
puerilibus, sicut Augustana professio sententiam  
fert haud iniquam, certis feriis, certis ieiuniis, frater-  
nitatibus, peregrinationibus, cultibus sanctorum, ro-  
sariis, monachatu, aliisque generis eiusdem, tam ar-  
roganti de se persuasione, ut, plura se, quam Deus  
ipse iusserit, praestaturos, iactarent. Quam Marti-  
nus insolentiam solius fidei, in Christi uulneribus  
defixa, commendatione repressit, ac religionem  
pie coli, quam magnifice maluit. omittit. Eiusdem  
Sed haec, cum primum licuerit, uberior ostendemus. Nunc enim in conspectum Vestrum, *Cives Religiosissimi*, deduco rursus Nobilissimum Doctissi-  
mumque, FRIDERICVM GOTTHELF GOTTLÖB  
KOCHIVM, *Dommitio-Misnicum.* Is beneficii  
Weyrauchiani lege obstrictus, anniuersaria celebra-  
bit oratione Lutheri in rem familiarem merita. Nul-  
la sane societas domo continetur, quam ille non fa-  
luberrimis instruxerit praexceptis, atque ad firmam  
stablemque perduxerit felicitatem. Dignissimus  
igitur laudibus perpetuis censetur, in hac praeser-  
tim literata sede, ubi primam lucem accedit, im-  
mortaliter de re priuata, non solum publica, prome-  
titus. Quanto religiosius uiri, diuinitus nobis con-  
cessi, renouabimus memoriam, Deum uenerati, ut  
puram doctrinam, domesticae quoque salutis atque  
incolumitatis ducem, inter tot, quibus urgemur,  
angustias, clemens ac propitius tueatur. P. P.  
Dom. XXII. post Trinit. c. 1500 CCLXXI

Ye 3447

ULB Halle  
003 033 120

3




Sb.

V317

03, 2001 Bd.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-234901-p0012-3

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

RECTOR

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

# GEORGIVS AVGVSTVS LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDICINAE DOCTOR PATHOL  
ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORDINAR. FAC. MED  
SENIOR CONV. ELECT. ET MVSEI ANATOM  
INSPECTOR SOCIETAT. OECON. LIPS  
MEMBR. HONORAR

ORATIONEM

A

FRIDERICO GOTTHELF GOTTLLOB KOCHIO

DOMMITIO - MYSNICO

SS. LITT. CVLT

IPSO DIE MEMORIAE SACRORVM RESTITVTORVM FESTO

CICICCLXXI

BENEFICI WEYRAVCHIANI CAVSSA

IN AUDITORIO MAIORE

PROCVRATIS SACRIS

HABENDAM

## CIVIBVS ACADEMICIS

NOTAM FACIT

26